

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimo-tertio menſis Decembris, Anno Domini M. DCC. XLIX.

M. ANTONIO FERREIN, Profeſſore Regio & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præſide.

An à Naturâ rariùs quàm ab Arte ſperanda Criſis?

I.



NON una eſt ratio quâ morbi in ſalutem terminari ſolent. Si viribus vitæ ſenſim mutetur, aut abigatur quod functiones oppreſſerat, ſolutio morbi contingit; hanc nulla præceps humorum vacuatio comitatur. Si facto impetu, natura morbi cauſam amoveat, aut amovere conetur, Criſis dicitur, ſeu judicium, quo ſcilicet ortum, naturam inter & morbum, certamen dirimitur. Duplex autem Criſis, fauſta & infauſta, illa verò perfecta, vel imperfecta. A priori

ægrotantis ſalus abſque recidivæ periculo, à poſteriori levamen. Utraque per evacuationem, aut metaſtaſim. Prioris generis Criſes tot fieri poſſunt, quot ſunt corporis emunctoria, humoreſque diverſi. Vel enim ex primis viis ſurſùm deorſùmve ejiciuntur naturæ moleſta, vomitu, Diarrhœâ, &c. vel apertis, quibus coercetur vaſis, ex ore, naribus, recto, aut mulierum genitalibus proſilit purpureus latex; vel ex ſanguinis ſinu varii ſecedunt humores, perque diverſas quas ipſis paravit natura vias, criticè eliminantur.

Metaſtaſis critica habenda quâ morbi fomes alicubi decumbit in ægrotantis levamen. Inflammatoria eſt, vel non. Illius exemplum variolæ, morbilli, parotides, bubones, &c. præbent; hujus, ſurditas febri ſuperveniens. In his omnibus naturæ moliminibus enodandis noli ad aſtrorum influxum, aut varia Archæorum nomina confugere. Habemus ſcilicet in hâc divinâ humani corporis machinâ motûs leges quibus hæc omnia regantur, harum vis naturæ nomine ut in ſtatu ſano concoquit, ſuperfluoſque eliminat humores, ſic in morboſo acres noxioſque ejicit, aut contemperat. At ſæpè ſæpiùs his obruta natura vix ſalutares exeret effectus, niſi tempeſtivè ſubveniat efficacior medicina quæ Criſes promoveat, aut *faciat*, non verò expectet; hinc tutior, certior, atque jucundior curatio.

II.

CUM ſtupendam illam in morbis profligandis naturæ velut ſollicitudinem obſervaſſent veteres, divinum quid operi ſubeſſe facilè ſibi perſuaſerunt. Nec immeritò ſi leges motus à Deo primariò inſtitutas intellexiſſent, non enim alia à Cœlo delabitur actio; nimirùm ea eſt partium, & functionum noſtrarum concordia, quâ ſibi mutuò ſubſerviant, & altera alteri invigilet, non aliundè quàm à nervorum, vaſorum, &c. nexu, conſenſu repetenda. Quod in ſtatu ſano unicuique obvium eſt, in morboſo forſan luculentiùs adhùc eluceſcit. Agitata in faucibus plumula, vel ibidem pertinaciùs defixa pituita vomitum ciet; cui perficiendo plura ſociatis viribus concurrunt organa. Acre inteſtinis hærens Diarrhœam nervos vellicando inducit; at ſi vel copioſior ſanguis, vel motu raptus effero vaſorum latera, nimiâ preſſione diſrumpat, fractis repagulis exſiliet, parteſque vicinas mole priùs obrutas levabit. Sudores pariter prorumpent, ſi quæ morbi cauſa dicenda erat materies, per vim vitæ ad corporis ambitum pellatur, ita tamen ſubacta cutiſque poris accommodata, ut eos facilè permeare poſſit. Quod de ſudore, idem de urinâ, aliiſque humoribus excrementitiis dicimus. Ut verò intra ſanguinem priùs deliteſcens foràs ejiciatur humor, duo requiruntur. Laxentur vaſa, ac humor ipſe tenuior evadat. Poſterius vividiori motu, febre etiam vigente peragitur, prius verò remittente febre, & pacato motu. Hinc eſt quòd circà decrementum aut finem acutorum Criſes antiqui expectaverint. Patet pariter cauſam univerſalem Criſium aſſignari non poſſe, ſed cuique ſuam competere. Demùm etiam intelligitur generalibus Criſium ſignis vix eſſe fidem adhibendam, ſed ea tantùm agnoſcenda quæ cuique peculiaria certam ac definitam Criſeos ſpeciem denuntiant.

III.

HÆC operantis Naturæ molimina obſervare, Criſique ſi tutò, citò & jucundè curet, favere apprimè convenit, at raræ illæ aves; plerumquè irriti ſunt naturæ conatus, ſæpiùs vanum tantùm aut inſufficiens ejus opus; ſæpè etiam in eo ſuccumbit; Criſim quoque futuram bonam aut malam, perfectam aut imperfectam prædicere, præclarum herclè, at arduum opus, & in praxi etiam verſatiſſimis raro conceſſum; nulla enim nec in toto morbi decurſu, nec in ipſâ coctione generalia eluceſcunt ſigna quæ criſim manifeſtò prodant. An

tibi fidendum videtur ingenti illi dierum criticorum, indicantium, intercalarium, vacuorum catervæ, quos internoſcere vetat, vel ipſa authorum hos celebrantium diſceptatio. Prætereà ſi dierum contemplationi fidas, nec ipſum primum morbi incipientis diem accuratè dignoſcere poteris; nam incerta ſunt quæ circà eum ſtatuerunt veteres; alii enim à decubitu auſpicari volunt, alii à primo febris inſultu, alii denique à primo morbi ingreſſu. Intereà otioſus aſſidebis ægrotantis lecto, nec niſi die vacuo Pharmacum audebis porrigere, & quem non terrebunt ſymptomata, dies terrore ſuſpenſum morabitur. Verùm ſi perfecta forsàn morbum ſolvat criſis, ſaltèm moræ pretium habebis repenſum. Contrà ſi mala, aut imperfecta tantùm, ut fieri aſſolet, fruſtrà naturam incuſabis, te ſolum redarguent adſtantes. Si adhùc affulgeat aliqua vitæ ſpes, altera denuò expectanda dierum recurrentium periodus, ut quod 14°. die non perfecit, 17°. tandem peragere ſatagat, aut 21°. elangueſcens natura. Fateſcunt intereà vires, & quò longior morbus, eò protrahuntur inſigniùs dierum criticorum intervalla. Serpit interim malum, & in debile graſſatur corpus, ut quem primis efficacior medicina diebus reſtituere potuiſſet, eâ agentis naturæ contemplatione otioſâ, quâdam mortis quaſi meditatione mactetur. Nec mirum, ex 20 enim 14 ſpectando, ſex tantùm curando trahuntur dies; hinc morbi qui à nobis periculoſi judicantur, ab illis lethales ſpectantur, quia per eorum decurſum remedia nonniſi parva adhibere auſi ſunt.

I V.

IPSAM porrò antiquorum praxim conſule; ſanior illa circa duos morborum ſtatus tota verſatur; cruditatem ſcilicet humorum eorumque coctionem. Crudus dicitur humor qui à naturali quantitate, qualitate, vel motu recedit; coctus è contrà qui per actiones vitæ, propriam indolem, vel congruam curationem, novam paſſus eſt mutationem. Signa coctionis memorantur, morbi quies, imminutio, virium conſtantia, incrementum. Symptomatum levamen, vel ſedatio, cum vitæ robore. Denique humorum ægri, cum ejuſdem ſani humoribus ſimilitudo; verùm hæc morbi potiùs ceſſationem exhibent. Ad quid ergò Criſis quam coctioni ſuccedere ſperant?

Prætereà vel præviderì poteſt Criſis, vel nullo certo præcognita ſymptomate Medicum ſtupore afficit nil tale cogitantem; alvi fluxus ſaburram excipit, hæmorrhagia, plethoræ & menſtruis ſuppreſſis ſæpè ſuccedit, ſicque Criſim quandoque ex præcognitis cauſis licet conjicere. Sed quænam ſymptomata hanc certò prænuntiant? Quænam futuram metaſtaſim indicant? Nulla certè, niſi quæ ſummè fallacia. Prævisam Criſim ſalutaribus antevertere remediis ſæpè conceditur. Improviſam fovere, cùm ſæpiùs humor lateat incognitus, id ſolummodò conceſſum. Ut igitur certa habeatur regula, quâ in iis vel negligendis, vel contrà ſedulò fovendis utamur, id priùs perpenſum eſſe debet, an ars naturâ efficacior, quod natura molitur, poſſit peragere, ſic ſæpè per venæ-ſectionem Galeno vel ipſomet monente plæthoram tollere poſſumus, quam operosè natura per hæmorrhagiam expuliſſet. Ut ſæpè vomitu Sydenhamius diarrhœas quas ſaburra ſtomachalis febribus induxerat, omninò non perſanavit tantùm, ſed & prævertit. Deindè id etiam exploratum eſſe debet, an ab arte promoveri poſſit Criſis, cùm ſcilicet illa certiùs, tutiùs atque jucundiùs hanc ſoleat inferre. Quæcunque enim Criſis Medico expectanda ſit, ei ſuppetunt inſtrumenta quibus facilè, tutò, & certò eam procreare valeat. An ventris fluxum à naturâ ſperas? Enema, Catharſim jube. An vomitum? Emeticum porrige. An Diureſim? Largum Ptiſannæ potum præſcribe. An ſudores? Adſunt Cardiaca, & alia quibus eliciantur mille, Sunt demùm caſus in quibus vix auxiliatrices

naturæ manus ars porrigere poteſt, vel ejus operationes prævertere. Tunc ergò ferè otiari Medico contingit, nec aliquid moliri permittitur. Id autem accidit, 1°. quando ex improviſo, & bonis avibus opus jam incœpit natura & medio tuta incedit. 2°. Quando à Criſi naturali plus boni ſperandum, qualis eſt hæmorrhagia narium dolente capite, mulierum menſes, hæmorrhoïdes in aſſuetis. 3°. Demùm in iis quibus parùm, aut nihil conferunt artis inſtrumenta, quales ſunt omnes ferè per metaſtaſim Criſes, & hinc hujuſmodi morborum præ aliis periculum majus. Hos ſi excipias numero paucos, arte tuâ faciliùs, tutiùs, certiùſque dictos obtinebis effectus.

V.

FRUSTRA de morborum cauſis noſtram incuſabis ignorantiam, ita ut nihil nobis ſuperſit præter naturæ ſervitium, & Medicis id decoris relinqui dices ut ſeſe naturæ Miniſtros jactitent. Quæcumque ſint morborum cauſæ, id Medico incumbit, ut quæ adſunt in corpore præter naturam mutationes, contrariâ mutatione perſanet, & de remotioribus cauſis parùm ſollicitus, proximam, præſentem eamque ſatis obviam tollat. Neque legum Artis gnarum indicationes fugiunt, certa ſunt ac definita vitia ſimpliciora, è quibus tota ferè exurgit morborum cohors; certæ ſunt ac definitæ, quibus tota innititur Medicina, indicationes His abſque erroris metu firmiter adhæreat Medicus, nec aliam nobis methodum ſtravêre vel antiquiſſimi Medicinæ principes. Quantumvis enim doctrinam de Criſibus ſummoperè exornaverint Hippocrates & Galenus, ipſiſque ſummam tribuiſſe videantur attentionem, ſi tamen ipſorum circa praxim ſtatuta methodoſque in ſanandis acutis adhibitas conſulueris, hanc doctrinam prædicare potiùs quàm ſequi videntur. Sic in acutis affectibus ad animi uſque deliquium poſthabitis Criſibus venæ ſectionem imperabant, ſic peplion, helleborum aliaque violenta pharmaca præſcribebant, ut in libro de victu acutorum apud Hippocratem videre eſt. Sic paſſim in aphoriſmis, catharſim non quæ doctrinæ Criſium reſpondeat, ſed ſolis indicationibus congruat, propinari jubet. Hâc methodo nulla certior, tutior nulla, nulla jucundior, nec quæ vulgatiori feliciorique praxi ſit accommodata magis.

Ergò à Naturâ rariùs quàm ab Arte ſperanda Criſis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Dionyſius-Claudius Doulcet.

M. Antonius Petit, in Matronarum gratiam Anatomes, & Artis Obſtetriciæ Profeſſor.

M. Joannes de Dieſt.

M. Bartholomæus-Tuſſanus le Clerc, Medicus Regis ordinarius.

M. Stephanus Pourfour du Petit.

M. Joſephus de Juſſieu; Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré.

M. Paſchaſius Borie.

M. Henricus-Franciſcus Bourdelin, Scholarum Profeſſor.

Proponebat Pariſiis AMBROSIUS HOSTY, Hybernus, Doctor Medicus Remenſis, Legationis Anglicanæ Medicus ordinarius, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R.S. H. 1749, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.